UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thronus Dei Maria Deipara

Spinelli, Pietro Antonio

Coloniæ Agrippinæ, 1696

Tertium Præcipuum Argumentum, quod decem proximis capitibus continetur, quo quatuor illa propter quę Throni Angelici ex Dionysio Areopagita hoc nomen sunt adepti, longe præstantius in Deipara ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-46853

Visual Library

columnã oſtendens locum caſtrorum. Num 9.

viam oſtendendo ducem ſe præſtitit, & à ſolis ardore protexit; verùm etiam ſtatione ſua locum caſtrorum oſtendebat. Num. 9. quæ omnia ſpiritualiter Virgo operari ſolet in ſuis devotis. Quando ergo ad loca, in quibus peccandi ſunt occaſiones, incitaris, ſanè ille non eſt locus tibi à Virgine oſtenſus; cum ibi ſit myſticè ſcorpio, dipſas, & ſerpens flatu adurens, de quibus Deuter. 8. *Deut. 8.* Virgo enim ea loca ad caſtrametandum nobis oſtendit; quæ animæ quieti, ac profectui ſunt opportuna, quo circa eius conſilium attenta mente excipiendum, eius ſequenda vox eſt, vt nos admonet *Bonavent.* Bonaventura in ſpec. B. Virg. cap. 3. *Maria eſt nobis columna nubis, iuxta illud Pſalmi, Deduxit eos in nube, quia tanquam nubes protegit ab æſtu divinæ indignationis, & ab æſtu diabolicæ tentationis, ſicut dicitur in Pſalmo, Expandit nubem, &c.* *Pſal. 77.* *Maria quoque eſt columna ignis in nocte ſeculi huius illuminans mundum*, citatque illud Bernardi, *Tolle corpus hoc ſolare, quod illuminat mundum, vbi dies? Tolle Mariam hanc maris ſtellam, quid niſi caligo inuoluens, umbra mortis, ac denſiſſima tenebræ relinquuntur?* *Bernard.* hæc ex Bonaventura de Virgine, quæ dicitur columna nubis, & ignis, & quemadmodum Exo. 14. *In vigilia matutina reſpexit*, inquit, *Dominus ſuper caſtra Ægyptiorum per columnam ignis, & nubis, interfecit exercitum eorum, & ſubuertit rotas curruum, ferebanturq́ in profundum*: *Exod. 14.* Ita Deus per Deiparam tamquam per feneſtram cœli, & per myſticam columnam ignis, & nubis, reſpiciens dæmonis vires, & potentiam penitus evertit, quod fuſiùs c. 22. & ſequentibus oſtendemus. *Cap. 22.*

Maria eſt columna ignis.

Dei maieſtas in Virgine oſtenditur.

Quod ſi denique dicas in Dei ſede plerumque Dei maieſtatem, auctoritatemq́ue ſignificari; hoc quidem negari non poteſt; attamen in nulla pura creatura ita relucet Dei gloria, atque maieſtas; diuina item attributa, præſertim potentiæ, ſapientiæ, & bonitatis, ſicut in Virgine Deipara, vt propterea S. Bernardinus *S. Bernar.* tom. 3. conc. 61. art. 6. ca. 4. dicat, Deiparam appellari Pſal. 8. *Dei magnificentiam*, quod fuſiùs oſtendemus ca. 15. vbi proprius erit huius rei tractandæ locus. *Pſal 8. Cap. 15.*

TERTIVM PRÆCIPVVM ARGVMENTUM QUOD DECEM PROXIMIS CAPITIBUS CONTINEtur, quo quatuor illa propter quæ Throni Angelici ex Dionyſio Areopagita hoc nomen ſunt adepti, longè præſtantiùs in Deipara inveniri demonſtratur.

GRATIAE MAGNITVDO VIRGINI DEIPARAE DIVINITVS IN SVA immaculata Conceptione collata, & de Glorioſiſſimo iuxta, ac Suauiſſimo nomine Maria.

CAPVT IV.

Tertia ratio, quæ ex comparatione thronorum Angelicorum Virgo Dei thronus aſtruitur.

1 TERTIUM principale argumentum, quo oſtendimus beatiſſimam Virginem per Dei thronum intelligi, ſit ex iis, quæ ſacri Doctores de tertio ordine ſupremæ hierarchiæ, qui Throni dicuntur, ſcribunt; præcipuè Dionyſ. c. 7 de Cœleſti hierarchia, vbi eorum proprietates ex eorundem nomine ſic inveſtigat: *Dionyſ.* *Thronorum*, inquit, *ſummorum, & excelſorum nomen declarat id, quod ab omni terrena humilitate ſine admixtione ſecretum eſt, quodq́ ad ſuperiora diuino ſtudio fertur, nec in infimis vllis rebus habitat: ſed totis viribus in eo, qui verè ſummus eſt, immobiliter, firmiterq́ hæret: diuinumq́ aduentũ ſine vlla motione, atque materia recipit: ac Deũ portat, officioſeq́ ad ea, quæ diuina ſunt, capiẽda propenſum eſt*: hæc Dionyſ. Ex cuius doctrina colligit S. Thom. 1. par. q. 108. art. 5. ad 6. *S. Thom.* Thronorum Angelicorum ordinem per conuenientiam (ut ipſe ait) ad materiales ſedes exponi: in quibus quatuor docet conſiderari poſſe. primò ſitum, quia eleuantur à terra; & throni ita eleuantur, vt rationes rerum immediatè in Deo cognoſcant. ſecundò firmitatem; in ſedibus enim quis firmiter ſedet: ſed hic è converſo ait euenire, ipſi enim throni firmantur per Deum. tertiò quod ſedes ſu-

Quatuor in quibus throni Angelici materialibus ſedib aſſimilantur.

ſcipiat